& ea quae a d(e)o sunt, aderit namque & tibi si tu prius non defueris tibi;
uerumtamen ego pueros istos, non propter hoc admiror & beatos dico quia
ignis incendia calcauerunt inlaesi; Sed quia pro patriis legibus uinciri
uoluerunt & in fornacem mitti atque ignibus tradi; In hoc est eorum uirtus &
meritum; statim namque ut de igne electi sunt, coronae eis necti coeperunt,
& illis sine dubio uerbis, quibus cum omni fiducia & libertate responderunt regi
dicentes, non opus habemus nos de uerbo hoc respondere tibi, est enim d(omi)n(u)s noster in
caelis cui nos seruimus, qui potest liberare nos de camino ignis ardentis & de ma
nibus tuis rex liberauit nos; quod & si non, notum tibi sit rex, quia diis tuis non ser
uimus & imaginem auream quam statuisti non adoramus; ex his uerbis illi iam
coronati sunt, & in hac confessione uictoriae suae palmam ceperunt; In hoc fuit cur
sus eorum, quae in confessione p(er) martyrio consummarunt; quid uero corpora eorum
tradita sibi ignis erubuit, & uincula dissoluit, atque oblitus naturae suae in medio
fornacis exhibuit eis caelestis roris refrigeria; hoc iam di(uinae) gratiae fuit, qui uoluit
p(er) magnificentiam mirabilium, notam facere potentiam suam; Illi uero in confessione
sua & fidei constantia coronati sunt, & martyrii sui gloriam consequti; quid tu ad
haec dicere poteris; & iam si patria expulsus es, ut isti & iam si in captiuitatem duc
tus es & barbaris dominis seruisti, hoc & istis accedit; Si sine solatio, si sine doctri
na, si sine commanitore uixisti, nec istis cuncta haec defuere; uenditus es & sectus ad
mortem ducturus es & isti; Sed p(er) haec omnia tra(ns)ducti iusti ex uno quoque horum da
riores, nobiliores que digressi sunt; & iudaei quidem habentes templum & sacrifi
cia & arcam testamenti, cherubin quoque & propitiatorium & omnia illa quib(us)
cotidiana sacrificia consummabant, habentes & iam prophetas alios defunctos, alios
adhuc superstites, qui eos & de actibus praesentib(us) informarent, & de antiquis d(e)i benefi
ciis commonerent, quae in aegypto fecerat cum eis, quae in deserto, quae & iam cum ter
ram repromissionis ingressi sunt, & in his omnib(us) non solum nihil profecerunt, sed & in ipso
templo ad insignia praeuaricationis suae idola conlocarunt, filios suos eis & filias immo
lantes, sub arboribus & iam & in montib(us) profana sacrificia consummantes; hi uero in
terra barbarica in hostili solo sub tyrannica potestate positi, flammis & mortibus tra
diti, non solum nihil laeduntur, sed & maiorem gloriam capiunt; haec ergo scientes
& horum similia colligentes de diuinis scripturis, multa enim similia inueniet qui re
quirit exempla, quib(us) agnoscat alios quidem sine ulla difficultate temporum & neces
sitate causarum, nulla ui, nulla tyrannidae cogente conlapsos, & alios his omnib(us) aduer
santibus sibi ne leuiter quidem a uirtutis proposito fuisse commotos; Indubitata sententia

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
Bodleian Libraries UNIVERSITY OF OXFORD
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Bodleian Libraries
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/bodleian_mslaudmisc452/0315